









1730.

22. Baunerus, Joh. Gottfr. : De quarta Tribellianica  
in pacto nuptiali exult.
23. Baunerus, Joh. Gottfr. : De eo, quod iustum est  
ad formam exhortationis. 2 Saec. 1731 & 1736.
3. More, Ernestus Henricus : De tribus iuris iurandi coni.  
Tribus.
4. Daegenerus, Cas. Matth. : De legitima probatione  
casuum fortuitorum.
5. Daegenerus, Corlus Matth. : De abuso, qui circa  
præstaciones rusticorum plenariae occurrere  
solent.
6. Daemigas, Sigismundus Ritter : De usq; alterum  
calculos apud veteres ad aporal II. 17.
7. Gruber, Michael Henricus : Progranna, quo  
et orationem auspicalem invitat.
8. Gruber, Mich. Henr; pae. jus. procuratorius :  
De primis academicis Lipsiensis cancellariis  
Progranna, quo inaugurationem quaque candidi  
tum (Transit Thomae reg.) in Dicit.

1731.

9. Hartner, Mich. Hnus: Programma, quo ad inaugurations  
solenitatis Dr. Theodor. Kortenii invitatur.

10<sup>o</sup> et Henningus, Carolus Fridericus: De eo, quod iustus  
est circa expositionem infantium 2. Exempl.

11<sup>o</sup> et Hommelius, Ferdinandus Augustus: In numero 18  
et septuaginta testium in testamentis. 2. Exempl.

1731: 1748.

12. Fricker, Gottliebus Lenhardtus: De successione con-  
tinguum Lipsiensem.

13. Haestius, Abraham: De sacrificiorum Denominatione  
et constitutam servitatem: ne cuiuslibet officiatorum  
vel deo non alius tollendo; simulque collegia nec  
lyberna in dist. 20

14. Haestius, Abrahamus: De Academio.

15. Korten, Martinus Gottlieb: De fidei commissio perpetua  
familiae in fundo.

1731.

16. Herzen, Martinus Gallius: De analocissimo jure  
naturali non prorsus illustrato.

17. Klinguer, Dr. Gallus: De probacione scientia-  
lis & colou inscripienda. Programme, quo lectio-  
nes suas inducit.

18. Knoblauch, Dr. Surius: De Litterariis Communione  
bonorum inter conjuges, ejusque praecipuis  
effectibus in foro

19. Koenigk, Iuan. Christianus, fac. ius. postmucellaris:  
Programma, quo salenia Doctoralia Dr. Georgii  
Knoblauchi inducit

20. Koenigk, Gottfridus Reinoldus: De Iuris  
ejusque effectibus

21. Koenigk, Gottfridus Reinoldus: De transitoris  
civica dominici acquisitionibus effectu tam  
naturali quam positivo jure: et hoc rurum  
tam communis tam saxonico.

1731.

22. Korntholus, Christmann: De ecclesiis suburbicariis . . .

23. Thuenhold, Fr. v. Alexander: Programma, quo ad  
gymnasii polonensis Muenckensis disquisitio  
nem . . . intentum

24. Luderitz, Georg. Thomas: De differentia ju-  
vamm. et latrarii habecunis intesti successio-  
nem ab interstato sanguineos am.

25. Luderitz, Georg. Henckl.: De veris et falsis  
logistib; humanae principiis

8745.  
1731, 116  
DE  
**NVMERO SEPTENARIO**  
**T E S T I V M**  
**I N T E S T A M E N T I S**

MEDITATIO

QVAM

ILLVSTRIS IVRISCONSVLTORVM ORDINIS  
CONSENSV

AD DIEM V. OCTOBR. CIO 100CXXXI.

PRAESIDE  
**FERDINANDO AVGUSTO HOMMELIO**

PHIL. ET VTR. IVR. D. SCAB. EL. ASSESS.

ERVDITORVM EXAMINI SVBMITTIT

AVCTOR ET RESPONDENS

EHREGOTT FRIDERIC. BERGMANN

DRESDENSI.

---

EDITIO SECUNDA.

---

LIPSIAE,

APVD IOAN. CHRIST. LANGENHEMIVM

1748.

NUMERO SEPTEMBRIO  
M V IT S E T  
IN ASTRAHANIS

ITAS TRIBUS VARSIENSIA TONUM ORDINES  
COSMOGRAPHICIS

TRIDIANO AERATO HOMINIO  
TUTTI TUTTI TUTTI TUTTI TUTTI TUTTI

TUTTI TUTTI TUTTI TUTTI TUTTI TUTTI

ERASISTRATI MAXIMA SUMMA TUTTI TUTTI



I. *modestie nullius est*



tiam quod discere superuacuum  
est, prodest cognoscere, sapien-  
ter ait SENECA *Lib. VI. de  
Benef.* Evidem veritates o-  
mnes eiusdem conditionis aut dignitatis esse,  
dici haud potest, sed earum alias necessarias,  
utiles alias, quasdam fere tantum iucundas  
nemo est qui ambigat. Sterilem tamen adeo,  
inanem et siccum esse nullam, ut non aliqua  
saltem inde sperari possit utilitas, sanioris  
Philosophiae principia edocent. Quam ob-  
rem nec nobis vitio erit vertendum, quod  
ex copiosissimo, qui ad disputandum sepe of-

A 2

fert

fert campo , non foecundiores potius , et ad decidendas fori controuersias magis accommodatam , quam praesentem , de numero septenario testium in testamentis , materiam nobis elegerimus , in qua discutienda industriam nostram et vires exerceamus . Sicut enim nulla veritas scitu prorsus indigna est , ita praesens etiam tractatio non omni destituitur utilitate . Vix enim iuris nostri rationes cuiquam constare poterunt , nisi originem et progressum eiusdem curatius explorauerit .

## II.

Septem in testamentis requiri testes , dubitat nullus . Sed quae numeri huius septenarii ratio , quae origo , non aequa est expeditum . Evidem hunc septenarium numerum ex antiquis testamentis , quae dicuntur per aes et libram , imo ex vetustissimo in comitiis testandi ritu originem trahere , communiter sentiunt . Ista tamen doctrina iam dubia quodammodo redditia fuit in Dissert . de Scriptura eiusque necessitate in Testamento nuncupatiuo sub moderamine Domin . Praef . habita d . XXV . Februar . c 150 ccxxix . § . 4 . Nobis in praesentiarum non dubiam modo , sed

sed falsam omnino hanc esse doctrinam, imo falsissimam, hanc nostra dissertatione com-  
monstrare, animus est; hac quidem metho-  
do, ut initio ipsam, quam impugnabimus de  
origine numeri septenarii testium in testa-  
mentis communem doctrinam commemore-  
mus, deinde, expositis rationibus, quare a  
vulgari ista Doctorum opinione resiliendum  
nobis existimauerimus, quae nostra sit de ra-  
tione et origine huius numeri conjectura,  
demum addamus.

## III.

Primum igitur ipsa de ratione numeri  
huius septenarii Doctorum hypothesis nobis  
explicanda venit. De qua eiusque erroribus  
ut eo felicius possit iudicari, veterum testa-  
mentorum apud Romanos praemittamus de-  
lineationem, succinctam tamen et breuem,  
nihil attingentes, nisi quod ad concipiendam  
de numero septenario testium opinio-  
nem vulgarem videbitur necessarium. Cum  
de cetero notior sit testamentorum historia,  
quam ut prolixiori nostro indigeat commen-  
tario. Testamenta igitur apud Romanos ve-  
tustissima sunt, imo ipsis XII. Tab. LL. anti-

A 3

quio-

quiora. Quippe sub Regibus iam visitata,  
quod discimus ex Plutarcho in Romulo, vbi  
Anci Marci Regis temporibus Tartutius ho-  
mo diues Larentiam meretricem dicitur *τε-  
λευτήσας ἀπολύψαι πληρούμων*, h. e. moriens  
heredem testamento reliquisse, vt PERIZO-  
NIVS interpretatur ad *L. Voconiam p. 134.*  
Fiebant autem testamenta primis tempori-  
bus in calatis comitiis §. 1. *Inst. de Testam.*  
*VLPIANVS Fragm. Tit. XX. §. 2.* GELLIVS  
*Noct. Attic. Lib. XV. Cap. 27.* Quamuis  
enim testamentorum causa calatus haud fue-  
rit populus, vt somniat *THEOPHILVS in  
Paraphrasi ad §. 1. Inst. de Testam.* erant ta-  
men testamenta comitiorum, alia de causa  
vt legum ferendarum, aut Regum et fla-  
minum inaugurandorum gratia conuocato-  
rum, quasi appendices. Vid. b. THOMAS.  
*Diff. de Primis initis succ. Test. apud Rom.*  
*§. XVI. sqq. Celeb. HEINEC. Antiqu. Rom.*  
*Lib. II. Tit. X. §. 2.* Et quidem publice con-  
denda tum erant testamenta, sollemni roga-  
tione ad populum directa, hac opinor for-  
mula *VELITIS, IVBEATIS QVIRITES, VT*  
*L. VALERIUS POST MORTEM MEAM IV-*  
*RE FAMILIAM CAPIAT. HAEC, VT DIXI,*  
ITA

ITA VOS QVIRITES ROGO. Conf. REV-  
NER. P. I. C. X. n. 4. Celeber. HEINEC.  
loc. cit. B. THOMAS. dict. Diff. §. XI.

## I.V.

Publica auctoritate ordinanda erant te-  
stamenta et a populo roganda , quod neque  
legis naturalis erant , neque tunc temporis  
iuris positui. Deficiente igitur lege , quae  
valorem conciliaret testamentis , populus  
erat adeundus rogandusque , vt extra ordi-  
nem quasi sustineret testantium voluntates.  
Conf. D.N. PRAESES *cit. Differt. §. 7.* Quae  
ratio mihi magis probatur , quam CORNEL.  
van BYNCKERSHOECK , qui *Lib. II. Cap. II.*  
*Obseru.* testamenta ideo a populo publice in  
comitiis ad instar legis roganda fuisse censet,  
quod ultima voluntate excludebantur agnati.  
Hos autem sicuti ad successionem lege fue-  
rant vocati , non aliter quoque nisi noua qua-  
si lege , a populo roganda , a successione  
potuisse excludi. Non enim quadrat haec  
ratio ad tempora ista , quibus testamenta  
fiebant in comitiis. Agnatorum ab intestato  
successio introducta demum fuit Lege  
Decemuirali VLPIAN. Tit. XXVII. §. 5.

Pr.

*Pr. Inst. de Legit. Agnat. Success.* testamenta autem in comitiis Legibus XII. Tab. antiquiora sunt, vid. §. praec. imo his postmodum latis iterum euanuere. conf. §. seq.

## V.

Latis igitur XII. Tab. LL. latissima quoque pro arbitrio testandi potestas Quiritibus fuit concessa, teste POMPON. L. CXX. D. de V. S. in his enim scriptum fuisse legimus: PATER FAMIL. VTI LEGASSIT SVPER PECVNIAE TVTELAEVE REI SVAE, ITA IVS ESTO. GOTHOFREDVS in Fragment. XII. Tab. ad Tab. V. BALDVIN. ad LL. XII. Tab. cap. 29. Ab hoc ergo tempore testamenta in calatis comitiis penitus desuisse videntur. Ecquem enim adeo despiciemus credimus, vt, introducta liberrima quomodo docunque testandi licentia, adhuc tamen publice coram populo in comitiis, supremam maluerit condere voluntatem.

## VI.

Verum liberrima haecce testandi potestas non multum post legem Decemuiralem conditam rursus exoleuit. Patricii enim, vt ferdi

rendi et interpretandi iura auctoritatem vel  
inuita plebe sibi solis acquirerent, variis effe-  
cerunt fraudibus. Iura plana otiosis inuolue-  
bant difficultatibus, negotia ciuilia variis im-  
plicabant sollemnitatibus. Inde fori dispu-  
tationes, item legum actiones seu formulae  
solennes POMPON. L. II. §. 6. D. de Orig.  
*Iur.* quibus a Cn. Flauio diuulgatis, notae  
compositae occultae, ab aliis non intelligi-  
biles, quibus tamen vtendum erat in iudicio.  
Eadem ergo patriciorum calliditas varias et  
circa testamenta sollemnitates introduxit  
videtur. Atque inde euenit, ut testamenti  
factio iuxta LL. XII. Tab. plana solutaque  
nouis inuolueretur ritibus, nouis difficultati-  
bus. Interueniente imaginaria venditione et  
familiae mancipatione erat testandum; adhi-  
bendus erat libripens et familiae emtor, his  
adiungendi quinque testes, quibus praesen-  
tibus tabulas testamenti tenens testator sol-  
lemnii formula suam nuncupabat voluntatem:  
HAEC VTI IN HIS TABVLIS CERISVE  
SCRIPTA SVNT ITA DO, ITA LEGO, ITA  
TESTOR, ITAQVE VOS QVIRITES TESTI-  
MONIVM PRAEBITOTE. Vid. VLPIAN.  
*Fragm. XX. 9. ISIDOR. Orig. IV. 24. CLEM.*

B

ALE-

ALEXANDR. Strom. V. 574. Hincque  
nata testamenta quae dicuntur per aes et  
libram. Egregie ergo fallitur BALDVINVS  
qui ad Cap. 29. XII. Tab. horum testamento-  
rum originem falso adscribit XII. Tab., qui-  
bus potius liberimam quomodocunque te-  
standi potestatem datam fuisse, modo ostend-  
imus. Conf. B. THOMAS. d. Diff. de Prim.  
Init. Success. Test. §. 31. sqq.

## VII.

Verum temporis tractu haec quoque,  
quae aere et libra fiebant, testamenta rursus  
in desuetudinem abierunt. Primum enim  
**PRAETOR** harum subtilitatum pertaesus in  
omni testamento sola VII. testium signacula  
sufficere voluit §. 2. I. de Test. Postmodum  
tam ex vsu hominum quam ex constitutio-  
num emendationibus in vnam consonan-  
tiam iungi coepit Ius Ciuale et Praetorium,  
ita, vt in omni testamento VII. testes, Cines  
Romani, puberes, ad hunc actum rogati,  
et uno tempore praesentes requirentur. At-  
que haec est sollemnis ista testamentorum  
forma, quae Iure nouo introducta, simul  
cum Romanorum legibus in Germaniam  
rece-

recepta, et postmodum imperii legibus per  
*Rec. Imper. d. ann. 1511. confirmata est.*

## VIII.

Quamuis igitur in omnibus causis etiam arduis et maioribus, quibus de fortuna, de fama, de vita denique hominis disceptatur, duo tantum testes sufficient, in sola tamen testamentorum materia septem fuerunt desiderati. Quae res salivam mouit eruditis in indaganda huius numeri ratione ut neruos suos contenderent. Nescio tamen an satis feliciter. Repetunt nempe numeri septenarii testium in testamentis originem ex prisco per aes et libram nuncupandi ritu, immo ex vetustissimo coram populo in comitiis testandi more, ita, ut testamenta, quibus hodie vtimur, veterum istorum sint quasi imagines. Septem enim testes ideo in testamentis nostris adhiberi censem, quod totidem personae et olim in testamentis per aes et libram erant necessariae, testes scilicet quinque cum libripende et familiae emtore. Quare autem in his praecise quinque testes fuerint desiderati, noua Eruditorum sollicitudo. Si

BACCHOVIVM audias atque GYPHANIVM

B 2

ad

*ad §. 1. I. de Testam. Ordin.* quos vno agmine ceteri sequuntur, quinque testes repraesentabant populum Romanum in comitiis, in quibus iuxta quinque classes, in quas Seruius Tullius illum diuiserat, comparebat, atque suffragia dabat. Ut ita haec rursus, quae aere et libra siebant testamenta, prisorum istorum in comitiis rogatorum fuerint quasi imitamenta. Sed monstrata haec sunt, quae miror a tot eruditorum concoqui potuisse. Ne tamen gratis haec dixisse aut frustra hypothesis tot doctorum calculo comprobata falsitatis accusasse videamur, agedum erroream istam esse doctrinam et falsis inniti prae*suppositis*, non vna ratione demonstrabimus. Duobus autem potissimum hypothesis ista innititur prae*suppositis*. Vnum est, quod testamenta nostra sint imitamenta testamentorum per aes et libram, et quod septem testes ostendant septem personas in ipsis olim adhibendas. Alterum quod quinque testes in testimentis per aes et libram priscum testandi ritum et populum Romanum secundum quinque classes in comitiis comparentem repraesentauerint. Sed utrumque hoc tam falsum esse, quam quod falsissimum

mum sequentibus rationibus dabimus probatum.

## IX.

Primo igitur falsum est , quod vno ore vulgo docent , septem testes, in testamentis se referre ad testamenta veterum , quae fiebant aere et libra , et septem repraesentare personas , in illis adhiberi solitas . Namque primo non septem , sed octo in testamentis per aes et libram deprehenduntur personae , testes quinque , libripens , familiae emtor , et praeter hos omnes antestatus , qui testium fidem taeta auricula obtestabatur , hunc enim sicut in emancipationibus , ita quoque in testamentis adhibitum olim et a libripende diversum fuisse ex clarissimis monumentis ostendit *Vir Excellentissimus D. IOANN. GOTTLIEB HEINECCIVS Antiqu. Rom. L. I. Tit. XII. §. I. conf. et ALEAND. item SCHVLTINGIVS ad Caii Institut. Lib. I. Tit. VI. §. 3.* Quod si ergo per certum numerum testium vetus mos per aes et libram testandi significari debuisset , vtique non septem , sed octo testes fuissent adhibendi . Deinde cum sollemnia testamentorum modernorum par-

tim ex veteri iure ciuili , partim ex constitutionibus Imperatorum , partim denique ex iure praetorio compilata , vt eleganter explicat TRIBONIANVS *in cit. §. 29. Inst. de Testam. Ordin.* numerus tamen testium non ex Iure Ciuali sed praetorio descendit , vt item docet TRIBONIANVS , *in cit. §. 2. Sed cum paulatim* , inquit , *tam ex usu hominum* , quam ex constitutionum emendationibus coepit in unam consonantiam ius ciuale et praetorium iungi , constitutum est , vt uno eodemque tempore (quod Ius Ciuale quodammodo exigebat) *septem testes adhibitis* , et subscriptione testium , quod ex constitutionibus inuentum est , *et editio Praetoris signacula testamentis imponeretur* . Quod si igitur numerus testium in testamentis ex Iure Praetorio est , operam sane perdunt , qui ex testamentis per aes et libram , quod Iuris Ciuali inuentum , numerum istum explicandum esse arbitrantur .

## XI.

Denique non tantum in testamentis sed plerisque aliis negotiis , quae cum testamentis per aes et libram nihil habent commercii , nume-

numerus testium septenarius Quiritibus fuit sollemnisi. Diuortium nullum ratum fuisse, nisi septem ciuibus Romanis puberibus adhibitis PAVLVS docet *L.f. D. de diuort. et re-pud.* Pari ratione in emancipationibus ante curiam faciendis septem testium numerum fuisse necessarium refert CAIVS *Lib. I. Inst. Tit. VI. §. 3.* verbis: *Vt septem testium numerus impleatur.* Ex quo coniicio numerum testium in testamentis non praecise ex veteri testandi ritu per aes et libram esse accersendum, aut istorum testamentorum repraesentare formam, sed numerum septenarium a Romanis ex singulari ratione in plerisque negotiis et actibus sollemnibus fuisse introductum, de qua re coniecturas nostras dabisimus infra.

## XII.

Accedo ad alterum praesuppositum doctrinae vulgaris de numero testium in testamentis, quod nobis impugnandum sumsumus. Scilicet in explicanda ratione numeri quinquenarii testium, qui in testamentis per aes et libram olim adhibebantur, vltterius recurrent ad testamenta antiquissima in calatis

tis comitiis a Romanis condita. Fiebant haec publice coram populo , rogatione ad populum directa , et more sollempni , quam exposuimus supra. Hunc ergo antiquissimum testandi ritum in testamentis per aes et libram Romanos imitatos esse aiunt. In specie quinque testes adumbrasse contendunt populum Romanum secundum quinque classes , in quas a Seruio Rege erat diuisus , in comitiis comparentem et suffragia dantem , vt sicut singuli testes suam classem , ita vniuersi populum vniuersum repraesentauerint. Conf. BACHOVIVS et GYPHANIVS ad §. I. *Instit. de Testam. Ordin.* HVBER. *Prael. Tit. de Testam. Ord.* §. 5. seqq. eiusdemque *Digress. Lib. IV.* Cap. 32. B. THOMASIVS *Diss. de Sensu Leg. Decemu. Testam. apud Rom.* §. II. B. BAYER. *ad Instit. Tit. de Test. Ord. Pos.* 47. Enim vero aut fallor , aut commenta haec sunt , et vana fallacis soporis ludibria , vt nubem pro Iunone amplexi mihi videantur qui inanes istas fabulas pro vero accipiunt. Primo enim non in quinque sed sex classes populum diuiserat Seruius , vt DIONYSIVS HALICARNASSEVS refert , *Lib. IV. in Vita Tullii* , vt adeo non per quinque sed sex personas

fonas repraesentandus fuisset populus Romanus. Quae ratio VINNIVM quoque mouit, vt a communi ista interpretum doctrina nobiscum quodammodo diuortium faceret, in Comm. Tit. Inst. de T. Ord. §. 2. Enim vero vt nihil penitus dissimuleus dubium illud, vtut non penitus spernendum, neque tamen omni exceptione maius est. In classe enim sexta erant tantum proletarii, qui censu, capite, suffragioque carebant indeque nullo numero habebantur et inter classicos non connumerabantur, sed ii tantum qui erant in classibus quinque primis vti ex ARNOBIO aduersus gentes patet, qui, *desinite, inquit, hominem, proletarius cum sit, classibus et capite cum censeatur, adscribere ordinibus primis, ad quem locum conferri merentur STEWECHII Electa, ELMENHORSTII Observationes, HERALDI Animaduersiones, aliique. Indeque est, quod SALLVSTIVS ad Caesarem Epist. II. C. 8. n. 1. quinque tantum classium mentionem faciat. It. LIVIVS L. III. C. 30. qui Rome creatos dicit X. Tribun. Pleb. binos ex singulis classibus. Conf. Id. Lib. I. C. 43. nec non HENR. GLAREANVS LORITVS in Annot. ad Liu. Lib. III. pag. 47. ARNO-*

C

BIVS

BIVS quoque cit. Lib. II. quinque tantum classes memorat, *Numquid enim*, ait, *quinque in classēs habetis populum diuisum, vestri olim ut habuere maiores.* Quodsi igitur ex dictis rationibus displiceat forte hoc Vinnii argumentum, agedum, suppeditabimus alia, quae nisi per colorata praeiudiciorum perspicilla rem intuearis, a communi Bachouii interpretumque opinione te facile dimouebunt.

### XIII.

Per quinque igitur personas in testamētis, quae siebant aere et libra, repreäsentatas fuisse quinque classes et populum Romanum, coram quo olim testamenta siebant in comitiis, vel inde dubium est, quod testamenta olim non in comitiis centuriatis condiebantur, in quibus populus Romanus comparebat secundum classes, in quas a Seruio Tullio erat diuisus, sed in curiatis potius, quibus iuxta triginta curias, in quas iam olim Romulus eum diuiserat sententiam rogabatur. Scilicet triplicis generis erant comitia apud Romanos, alia curiata, alia centuriata, alia denique tributa. Curiata antiquissima sunt,

sunt, atque in his populus suffragium dabat secundum curias triginta in quas Romulus eum distinxerat, in centuriatis populus sententiam ferebat iuxta classes in quas partitus eum fuerat Seruius Tullius, in tributis denique secundum tribus populus congregabatur. Omnia haec comitia generali nomine dicebantur calata, a Graeco *καλέω*, quod ad comitia populus conuocaretur. Conf. NICOLAVS GRVCHVS Lib. III. de Comit. Rom. CAROLVS SIGONIVS de antiquo Iure Ci- uium Romanor. BLONDVS in Statutis Vr- bis Romae. Quo igitur genere comitiorum vni sint Romani in condendis testamentis spe- cifice non indicant auctores. Tribonianus, Vlpianus, Gellius et Theophilus locis supra §. III. citatis, testamenta olim facta fuisse in comitiis calatis referunt, quod verbum, vt dixi, generale est. In quibus autem in spe- cie comitiis testamenta olim fuerint facta, non edicunt. De tributis plerique consen- tiunt in illis testamenti factionem fuisse nul- lam, quippe in quibus plebs tantum conue- niebat. B. THOMASIVS de Prim. init. Suc- cess. Testam. apud Rom. §. 15. et quorum usus nullus fuit ante iudicium Coriolani. An

autem in curiatis, aut vero centuriatis veteres fuerint testati, non aequae conueniunt. Mihi sane per calata comitia apud Vlpianum, Gellium et reliquos potius curiata quam centuriata esse intelligenda probabile videtur ex rationibus sequentibus.

*a)* Quia testamenta in comitiis iam fieri cooperunt primis Anci Marcii Regis temporibus, ut verosimile est ex PLVTARCHI *loco supra cit.* adeoque circiter C. annos antea, quam populus a Seruio Tullio in classes diuideretur, et secundum eas in comitiis centuriatis conueniret.

*b)* Quia alias sequeretur, intra urbem Quirites testari non potuisse, centuriata enim intra pomerium haberi non poterant; sed locus eis destinatus erat campus Marcius extra urbem, cum e contra curiata fierent intra pomerium in foro.

*c)* Quia testamenta iisdem comitiis fiebant, quibus et sacrorum detestationes, ut refert GELLIVS *Lib. XV. Cap. 27.* Iam vero consecrationes pontificum fiebant in curiatis, ut ex Cicerone pro Domo probat GRVCH. *de Comit. Roman. Lib. III. Cap. 2.* vid. tamen HVBER. *Digress. Lib. IV. C. XXX. §. 3.*

*d)* Quia centuriata magis solemnia erant, quam curiata, in illis enim

de

de bello et pace, de Legibus publicis feren-  
dis consultabatur, adeoque in his potius,  
quam illis, negotia priuatorum, qualia erant  
testamenta, peracta fuisse probabile est, e)  
denique per comitia *nat' ἐξοχῆν* sic dicta in-  
telligenda esse magis curiata quam centuriata,  
exin quoque conicio quod partim curiata  
antiquissima sint, et centuriatis vetustiora,  
partim etiam quod locus quo habebantur  
curiata comitium fuerit dictum. Plura vi-  
de apud VINNIVM in Comment. ad §. 1.  
*Instit. de Testam. Ordin.* Quod si ergo non  
in centuriatis condita olim fuerunt testamen-  
ta, sed in curiatis, in quibus iuxta triginta  
curias suffragia inibant Quirites, sane non  
per quinque sed triginta testes represefentan-  
dus fuisset populus in testamentis per aes et  
libram, si, quod vulgo creditur, haec prisco-  
rum istorum in comitiis fuerunt imitamenta.

## XIV.

Deinde obserua in testamentis per aes et  
libram duos occurrere actus, maxime diuer-  
sos, imaginariam familiae venditionem et  
ipsam testationem. In testamento, ait VLPIA-  
NVS, quod per aes et libram fit dueae res agun-  
tur,

tur, familiae mancipatio et nuncupatio testamenti, Tit. XX. §. 9. Mancipanda primum erat familia, quia per imaginariam venditionem et actum inter viuos transferri volebant Romani haereditates, in cuius rei causas inquirit B. THOMAS. *Diss. de Sensu Leg. Decemv. Testam.* §. 10. Cum vero in haereditate essent simul etiam res mancipi, quarum plenum et Quiritarium, dominium sine mancipatione sollemni in alium transferri non poterat, inde mancipatione in condendis testamentis erat vtendum VLPIAN. Tit. I. §. 8. Conf. SCHVLTING. ad Vlp. Tit. XIX. §. 3. pag. 620. Quae cum ita sint in testamento per aes et librām quinque adhibebantur testes, non quia erat testamentum, sed quod mancipatio interueniebat, in omnibus namque mancipationibus quinque testes erant necessarii, quod ex VLPIANO discimus Tit. XIX. §. 3. et CAIO apud Boethium Comment. ad Topic. Cic. Lib. III. Frustra igitur huius rei ratio ex comitiis et vetustissimo testandi ritu accersit, nisi in omnibus mancipationibus per quinque testes populum Romanum repraesentari dixeris, quo nescio an quicquam dici possit ineptius. Quid enim mancipa-

cipationibus cum comitiis aut quinque clas-  
sibus commercii est? Mancipationes nun-  
quam siebant in comitiis aut publice coram  
populo, sed priuatim, ut probat SCHUL-  
TING. *Iurisprud.* Anteinst. pag. 292. Nec  
probabile est mancipationes, quae in nego-  
tiis ciuilibus quotidie adhibebantur, restrictas  
fuisse ad tempora comitiorum, quae non nisi  
bis in anno conuocabantur, si THEOPHILO  
credimus in *Paraphr. ad §. 1. I. de Test. Ord.*

Non autem in mancipationibus tantum,  
sed aliis quoque negotiis numerum quinque-  
narium testium in visu fuisse constat apud Ro-  
manos. Quinque testes mares adhibendi  
erant, quoties ageretur de partu monstroso  
exponendo. DIONYS. HALICARN. *Antiqu.*  
*L. II. C. 15.* Idque antiquissimis temporis  
bus et iamiam sub Romulo Rege obtinuit.  
Ex quo discimus mirum quantum falli erudi-  
tos, qui numerum quinquerarium testium  
in testamentis, quae aere siebant et libra ex  
antiquo in comitiis testandi ritu repeten-  
dum esse censem; aut quer quinque testes in  
actibus solemnis Romanos repraesentasse  
populum a Seruio in quinque classes distribu-  
tum,

tum, cum sub Romulo iamiam et multo ante, quam populus a Seruio in classes esset diuisus, numerus testium quinquenarius in negotiis ciuilibus esset sollempnis.

## XVI.

Sed quid faciemus Festo, qui testes signandis testamentis exhibitos, vocatos fuisse classicos dicit, manifesto, ut Gyphanius autumat, iudicio, testes in testamentis olim representasse quinque classes, secundum quas in centuriatis comitiis quondam comparebant Romani. GYPHANIVS ad §. 1. I. de Testam. Ord. Verum salua res est, Classici enim testes vocantur, non quasi singulas classes representassent, sed quod erant Ciues Romani. Ciues namque omnes censebantur in aliqua classe, et qui classem non habebant, ciues quoque non erant. VINNIUS ad §. 2. I. de Testam. Ordin. ibidemque cit. SCALIGER. Aut si maius classici testes Festo dicuntur qui integrae sunt fidei, viri praestantes, et irrefutabiles, classicum enim Romanis idem est ac bonum praestans, sicut eodem sensu scriptores Classici dicuntur GELLO scriptores assidui et praestantissimi Noct. Attic. Lib.

Lib. XIX. Cap. VIII. e contra proletarii  
scriptores infimae fortis VINNIVS loc. cit.

### XVII.

Ostensum nunc satis perspicue opinor rationem numeri septenarii testium in testamentis modernis neque ex testamentis antiquis per aes et libram , neque ex vetustissimo in comitiis testandi ritu esse deriuandam , meraque esse et vana somnia , quae de numero testium testamentariorum fingunt GYPHA-  
NIVS, BACCHOVIVS, et ceteri Doctores. Sed non satis est , inquis , aliorum vituperare hypotheses , nouae sunt dandae coniecturae , eaeque meliores. Periclitabimus ergo , an de numero septenario testium in testamentis aliquod proferre possimus iudicium , quamuis , an in re ambigua et vetustate circiter oblitterata , certi quidpiam determinari possit , propemodum diffidamus. Si quid inutrum coniectura assequi valeo , septem testes in testamentis plenitudini et perfectioni , quam numero septenario inesse credebant veteres , originem debent. Multa sunt , quae de numero hoc tradiderunt Plato , Aristoteles , aliisque Philosophorum ,  
prae

D

prae ceteris vero Pythagoras septenarium numerum veneratione dignum, rebus sacris maxime conuenientem reliquorum omnium longe perfectissimum esse et éπτα dictum ait quasi σεπτάς α σεβασμός ἀξιος, numerus veneratione dignus. Conf. STANLEII *Historia Philosoph. in vita Pythagorae.* C. XI. Philosophiae autem Pythagoricae studiosissimi erant Romani. Statuam quoque Pythagorae positam fuisse in cornibus comitii singularis reuerentiae documentum PLINIVS refert Lib. XXXIV. Cap. VI. De Numa testatur idem PLINIVS Lib. XIII. Cap. 14. quod Pythagoricae Philosophiae fuerit deditissimus; inde igitur euenisse videtur ut cum aliis quibusdam Pythagoreae Philosoph. Capitibus, doctrina quoque de sanctitate, perfectione, et plenitudine numeri septenarii a Romanis Philosophis, nec non Iuris nostri conditoribus, fuerit adoptata. Sane CICERO numerum septenarium appellat plenum, *Sonn. Scip.* C. 2. item rerum omnium modum C. 5. Hinc etiam Deorum et Principium capita septem radiis depicta comprehenduntur, ita in specie Augusti caput expressum in nummis atque marmoribus Romanorum

rum vid. FRIGEL. de Stat. Illustr. Rom. p. 273.  
et GOLZIVM in num. Aug. p. 118. Huius igitur  
doctrinae Pythagoricae varia in iure quoque  
nostro supersunt vestigia. Ex hoc enim  
fundamento fluxisse videtur, quod partus  
septimo mense editus maturus videatur et  
matri prospicit. Septimo mense natus matri prod-  
est, ratio enim Pythagoraei numeri hoc vide-  
tur admittere ut aut septimo pleno aut decimo  
mense partus maturior videatur. IVL. PAVL.  
Rec. Sent. L. IV. T. IX. §. 5. Eiusdem ergo  
principii consecutarium est, quod Praetores  
septem requisuerint testes in ordinandis vlti-  
mis voluntatibus.

## XVIII

Habes, B. L. nostras de numero septen-  
tario testimoniis in testamentis eiusque origine  
qualescumque coniecturas. Quae si Tibi per  
omnia non probabuntur, id saltem effecisse  
videbimus, vt sententiam nostram non peni-  
tus improbabilem esse intelligas. Vale, C.  
L. et nobis fave.

6362

## Π ΑΡΕΡΓΑ.

### I.

*Actor suam intentionem, reus exceptionem,  
regulariter probat, ut se fundet in ne-  
gativa.*

### II.

*Fratribus germanis competit querela inoffi-  
ciosi, si vel nulla in honesta persona iis sit  
praelata.*

### III.

*Fratres uterini ne quidem iure nouissimo ha-  
bent querelam in officiosi, si vel maxime  
turpis persona instituta sit.*

### IV.

*Mulieres non possunt esse testes in codicillis.*

### V.

*Pecunia lustrica pertinet ad peculium aduenti-  
rium regulare.*

### VI.

*Maritus non est Dominus rei dotalis, sed uxor,  
etiam durante matrimonio.*



Leipzig, Disc, 1731 A-L

X 241 7843



B.I.G.

Black

3/Color

White

Magenta


Red

Yellow

Green

Cyan

Blue



DE  
NUMERO SEPTENARIO  
TESTIVM  
IN TESTAMENTIS  
MEDITATIO  
QVAM

ILLVSTRIS IVRIS CONSVLTORVM ORDINIS  
CONSENSV

AD DIEM V. OCTOBR. CIO 10CCXXXI.

PRAE SIDE

ERDINANDO AVGVSTO HOMMELIO

PHIL. ET VTR. IVR. D. SCAB. EL. ASSESS.

ERVDITORVM EXAMINI SVBMITTIT

AVCTOR ET RESPONDENS

EHRREGOTT FRIDERIC. BERGMANN

DRESDENSI.

EDITIO SECUNDA.

LIPSIA E,

APVD IOAN. CHRIST. LANGENHEMIVM

1748.

